



**Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Antverpiæ, M. DC. VIII.**

I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](#)

Sed HORATIVM alias ingenij sui lucubrationes meditantem, postquam per duodeviginti annos Romanam iuuentutem ad verum Eloquentiae iter instituit, inuida mors sustulit; & ad diuos, vti speramus, transtulit, anno salutis, ni fallor, M. D. XCIX. ætatis supra sexagesimum. Erat religione, animi submissione, modestia, affabilitate, mansuetudine, ceterisque virtutibus supra modum amabilis. Præter hæc, quæ prælo mandata in vulgus emanarunt, reliquit &

*Historiam ab orbe condito ad nostra tempora, maxima perspicuitate ac simplici elegantia conscripta.*

*Commentarios præterea in omnes fermè Ciceronis de arte Oratoria libros, & in Orationes eiusdem.*

## I.

IACOBVS ALVAREZ DE PAZ, natione Hispanus, patria Toletanus, sacræ Theologie ac Diuinorum litterarum in Peruano regno hodieque Professor, scripsit,

*De Vita spirituali, eiusq; perfectione, lib. v. Lugduni excusos.*

*Quòd autem etiamnum degat, eò laudibus supersedeo.*

IACOBVS ANTONIVS MARTHA, natione Italus, in orientis Solis Indiam ex obedientia profectus, magno zelo, nec minore fructu multos annos posuit in gentium illarum animis excolendis, feliciterque cessit è vita. Scripsit,

*De quatuor temporibus anni.*

IACOBVS GRETZERV, natione Germanus, patria diœcesis Constantiensis, admodum adolescens Societa-

Societatem ingressus, in ea Græcę Latinęque linguae, Philosophiæ item atque Theologiæ operam dedit. Deinde humaniores litteras Friburgi, Philosophicas Ingolstadij professus est. Nunc verò Theologus Societatis nostræ pereruditus, Sacras litteras in eadē Academia Ingolstadiēsi profitetur. Scripsit,

*De Cruce Tomos duos.*

*Grāmatice Græca libros IIII. egregiè elaboratos.*

*Apologiam in quinque libros distributam pro vita B. P. IGNATII Societatis I E S V fundatoris, à Petro Ribadeneira conscriptam, aduersus calumnias cuiusdā Christiani Simonis Lithi Miseni Cauinistę.*

Alios item quinque libros *Apologeticos pro eadem Vita*, aduersus iteratas calumnias eiusdem Caluinistę; quos inscripsit, *Lithus Misenus Caluinista.*

*Assertionē præterea Apologia Gallicanæ ad Christianissimum Galliæ Regem Henricum quartum, ab eiusdē Lithi Miseni criminationibus vindicatę.*

*Epistolam Græcam eiusdem Simonis Lithi, cum pharmacis ob Iesuitarum in Galliam reuocationem, & admonitione de miraculosis in venerabili Sacramento apparationibus ad eumdem Misenum.*

*Panegyricum Misenicum.*

*Stigma frontis Misenicæ.*

*De subterraneis animarum receptaculis contra seclarios, præsertim Vbiqueistas, qui vt cælum, ita infernum ponunt vbique.*

*De sanctissima Trinitatis mysterio: præsertim,*

*De processione Spiritus sancti à Patre & Filio.*

*De Romano Catholica doctrina & controversiarum Religionis indice.*

*Eiusdem Responsum ad Theses Hunnianas recognitum.*

G

Destr-

- *Destructionē Labyrinthe Hunniani, quē Papisticum inscripsit; de Scriptura, de Persona CHRISTI, de officio CHRISTI Redemptoris & Mediatoris.*
- *Libros duos de more & iure prohibendi, cōburendi, & castigandi libros noxios & hæreticos.*
- *Apologeticum aduersus Introductionem in artem Iesuiticam Gabrielis Lermei Caluinistæ.*
- *Historiam ordinis Iesuitici Eliæ Hasenmilleri, editam à Polycarpo Leisero, correctā & refutatam.*
- *Honorarium Polycarpicum.*
- *Prædicantem vapulantem.*
- *Augurationem Doctoralem.*
- *Indicium de norma & normato.*
- *Paracletum Lutheranum, ad Lithum Caluinistam cum monstrantiis, &c.*
- *Banum & Mænum, seu de Fidei iudice & norma: cum Portiuncula ellebori pro pædotribâ Wittbergensi & Miseno Caluinista.*
- *De modo agendi Societatis lib. ii. oppositos libello anonymo & famoso. Acccessit Vindicatio locorum quorūdam Tertullianicorum à peruersis Franc. Junij Caluinistæ depravationibus.*
- *De cognatione & affinitate.*
- *De Iustificatione.*
- *De Sacris peregrinationibus lib. iv.*
- *De Supplicationibus lib. ii.*
- *De spontanea disciplinarum & flagellarum Cruce lib. iii.*
- *De Cruce spirituali librum singularem, cum spicilegio pro libellis De spontaneis disciplinis.*
- *Exercitationum Theologicarum lib. vi.*
- *Demonstrationes fidei, ex communibus sentiendi loquendique formulis auctas.*

Defen-

*Defensionis Controversiarum Rob. Bellarmini volumen primum.*

*Considerationes ad Theologos Venetos, de immunitate Ecclesiastica.*

*Ad Theologos Venetos Responſa quēdam.*

*Orationes & quæſtiones de Lutherio.*

Versionem è Græco in Latinum *Commentarij S. Gregorij Nyſſeni in Inscriptiones ſine Epigraphas Psalmorum, vnaque Orationum Leonis Imperatoris.*  
Item,

*Anaſtaſij Sinaitæ Ducem viæ, ſeu ὁδὸν, Latinè reddidit.*

Præter hæc, quæ in vulgus exierunt, ſcripsit etiam *Comœdias nonnullas ſacras eruditas, & maximè pias, quæ hactenus exculæ non ſunt, neque etiam Versio xii. librorum Sancti Gregorij Nyſſeni contra Eunomianos pro Sancto Basilio fratre ſuo, quam habet præ manibus.*

IACOBVS L A V N E Z , natione Hispanus , patria ex oppido Castellæ Almazan . Vir fuit omnibus numeris absolutissimus , ingenio maximo , iudicio acerrimo , excellenti memoria , prudentia singulari , innocentia & vitæ sanctimonia admirandus , modestia , affabilitate , mansuetudine , morum ſuavitatem , ſupra quām dici potest , amabilis . Primis litteris Seguntiæ & Soriæ imbutus est , Dialecticis ac Philosophicis Compluti ; vbi lauream etiam Magistralem est adeptus , Lutetiæ Parisiorum ſeſe reformatum , ac veluti recoquendum aliis preceptoribus & Philosophis tradidit , vt quæ inchoata & minùs perfecta ſibi videbantur , expoliret ac perficeret . Quibus studiis absolutis , ad diuinis ſe Scientias penitus dedit , maximaq; animi contentionē in S. Theologiam

logiam incubuit , summusque Theologus eius. B. P. nostri IGNATII constituendę Societatis socius inter primos & adiutor fuit. Per Italiam penè totam Verbum DEI ingenti auditorum concursu, admiratione, fructu disseminauit. Instituendorum Collegiorum nostrorum B.P. IGNATIO ipse auctor fuit: utque multa præcipuis in ciuitatibus Italix erigerentur Collegia, eius potissimum opera atque labore perfectum. Sacram Cardinalitiam dignitatem, ei à PAVLO IV. Pontifice Max. oblatam, repudiauit. Illo verò Pontifice mortuo, ac Sede Apostolica vacante, duodecim Cardinales ex vniuerso illo sacro Collegio lectissimi , in ipsum extra conclave Romę agentem sua suffragia contulerunt, quod Pontifex Maximus fieret. B. P. IGNATIO ad meliorem vitam translato, tum Vicarius, tum Præpositus Generalis, Societatem octo annos & dimidiatum rexit, quo tempore mirabiliter est propagata. In Galliam anno salutis M. D. LXI. à PIO Quarto Pontifice Maximo cum Hippolyto Estensi Cardinale Legato ad restinguendum, si posset, incendium ab hereticis excitatum amandatus , in publico totius Regni conuentu, Theodorum Bezam, Petrum Martyrem, aliosque nefarios hereticorum antesignanos exultantes in mendacio , maxima sententiarum & verborum grauitate homo Hispanus , & hospes, repressit, frenauit , ac mutos reddidit. Ad Synodum Tridentinam ter profectus est , à PAVLO III. IULIO item IIII. & PIO IV. missus, & tamquam Sedis Apostolicæ Theologus, quid in questionibus propositis videretur grauissimè doctissimeque disputauit, & primum inter Theologos locum tenuit. Sub PIO verò IV. cùm Præpositus Societatis esset Ge-

nera-

neralis, inter Patres, qui non solum censendi ius haberent, sed etiam definiendi, & sedit, & sententiam tulit, tanta illius sacri Confessus approbatione, admiratione, acclamatione, ut omniū iudicio & consensu Theologorum princeps indicaretur. Concilio Tridentino feliciter absoluto, Romam reuertit; ubi morbo ex immoderatis studiis, vigiliis, laboribus contracto, cursum suum consummavit, & maximo nostris & alienis sui desiderio relicto, sanctissime mortuus est xii. Januarii, anno salutis M. D. LXV. ætatis LIII. ut diximus in libro quem de eius vita conscripsimus. Scripsit IACOBVS LAYNEZ, vel potius scribere aggressus est,

Libros xii. *De Prudentia*, quos adumbratos tantum aique inexpertos reliquit.

*Prolegomenon in uniuersam Scripturam lib. I.*

*De Trinitate lib. IIII.* magis elaboratos ac perfectos. Scripsit præterea,

*Indicem*, & tamquam siluam & materiem omnium ferè illustrum sententiarum, quæ passim apud sanctos Auctores (quos omnes perlegerat) reperiuntur; qui quidem vice locupletissimi Thesauri, & quasi omnium Doctorum promptuarium esse potest. Item,

*De Cambiis.*

*De Vsuris.*

*De pluralitate beneficiorum.*

*De fuso & ornatu mulierum.*

*De Regno Domini.*

*De usu calicis.* & alia permulta, quæ ad Fidei dogmata in Concilio Tridentino tractata, vel explicanda vel confirmanda pertinent. Sed per grauisimas concionandi, Sacras litteras interpretandi,

disputandi cum hæreticis , peregrinandi , & gubernandi, ac perpetuas occupationes, hęc limare, & alia felicissimi sui ingenij atque exquisitae eruditionis monumenta relinquere IACOBO non licuit.

IACOBVS LEDESMA , natione Hispanus , patta ex Cuellar Castellę oppido. Vir fuit ingenij & doctrinæ magnitudine nobilissimus. In Complutensi Academia Philosophicas & Theologicas scientias didicit, in Parisiensi expoliuit, in Louaniensi perfecit, & ad fastigium perduxit, in omni litterarum atque disciplinarum genere, exquisita quadam ratione excelluit. Grammaticen, Rhetoricen , Dialecticen, Philosophiam siue de Natura siue de Moribus, Mathematicas scientias , atque omnium reginam Theologiam planè comprehenderat. Hac tanta rerum cognitione ac supellectile instructus , institutū vitæ suę cursum, Louanij anno salutis M. D. LVI. magna hominum admiratione abrupit; & quas habebat honoris & dignitatis spes magnas abiecit, atque ex secularium sapientium Academiis, in CHRI-  
STI sese scholam transtulit , & discipulus nostra in Societate factus est ; vt ea disceret mysteria atque intelligeret , quæ Pater cælestis sapientibus ac prudentibus abscondit , & reuelat paruulis. Deinde Romam iter instituit, vbi vix credas quanti fecerint eruditissimi quique Patres, cùm IACOBI LEDESMA ingenium , iudicium, doctrinam (quem non discipulorum, sed Preceptorum Magistrum appellabat) tum maximè humilitatem , obedientiam , charitatem , sui contemptionem , aliorum aestimationem, ceterasq; virtutes quæ in illo sic eminebant, vt tantum sapientiæ splendorem, quantus in ipso erat, clarissimis sanctimoniarum radiis superare , & quodammodo

modò obruere viderentur. Romæ controvèrsias de Fide Quæstiones cōtra hæreticos enodauit. Diuum Thomam explicauit, Romani Collegij studiis præfuit, dubitationibus de morib⁹ & Conscientiæ quæstionibus respondit, atque in ipso Iubilei anno, qui GREGORIO XIII. summo Pontifice celebratus est, cùm maximus ex vniuersi orbis Christiani prouinciis Roman fieret concursus, & ingens peregrinorum turba confluueret, ne Confessarij nostri à confessionibus audiendis distraherentur, & variis conscientiæ quæstionibus dissoluendis implicarentur, unus IACOBVS constitutus est, qui omnium vi-ces subiret, & singulorum peregrinorum dubitatio-nibus satisfaceret; quod dum egregiè præstat, & in-numeri illum interrogant, & continuis consultatio-nibus fatigant; dum omnibus studet respondere, nullumque à se inauditum dimittere, nato in capite apostemate, breui vir optimus & doctissimus, ma-gno nostrorum dolore, ad tranquilliorē vitam translatus est, anno eodem Iubilei M. D. LXXV. æta-tis verò plus minus LV. aut LXI. Multa scripsit,

*De Dialectica, eiusq[ue] tradendi Methodo, lib. I.*

*Ethicen siue Philosophiam & Theologiam de mo-ribus Tom. I.*

*Controvèrsiarum quæstionū aduersus hæreticos To-mum I. quæ tamen hactenus, quod sciam, lucem non aspexerunt. Exstant verò:*

*De Missa vulgari lingua non facienda, aduersus hæreticos liber singularis.*

*Doctrina Christiana. &*

*De modo Catechizandi lingua vulgari.*

*Grammaticæ Institutiones Latinæ.*

IACOBVS PANTOIVS, natione Hispanus, scripsit

G 4

De

*De Religionis processu apud Chinenses, ad Ludouicū Gusmannum Societatis nostræ presbyterum. id Gallicè etiam apud Atrebates euulgatum.*

**IACOBVS PONTANVS**, natione Bohemus, sed in Germania educatus. Vir in humanioribus potissimum litteris exercitatiſſimus, quique illarum ſtudium ferè nostræ Societatis in Germania primus excoluit, & plurimos erudiuit discipulos, ac ſuo exemplo & cohortatione ut illos excolearent, incitauit. Scripsit,

*Progymnaſmatum Latinitatis, ſive Dialogorum, volumina quatuor; in quibus omnia ferè quæ in consuetudinem vſumque communē incident, puro Latinoque ſermone complexus est. Item,*

*Inſtitutiones Poëticas. Item,*

*Florida, hoc eſt, Carmina ſacra.*

*Comœdias prætereà aliquot ſacras, quæ nondum prodierunt in lucem. Item,*

*Praeclaros atque uberes Commentarios in uniuersum Virgilium.*

Prætereà, edidit à ſe è Græco verſum in Latinā linguam, *Ioannem Cantacuzinum*; qui quatuor libris, bella inter Andronicum ſuum & Nepotem gesta, elegantissimè deſcripsit.

*Georgij Phranzæ Chronica Orientis imperij.*

*Philippi Solitarij Dioptram, & Nicolai Cabafila Vitam CHRISTI.*

*Simeonis Iunioris Orationes XXIII.*

Item,

*Simeonis Epifcopi Theſſali de Divino Templo, & ascetica. Item,*

*Theophylacti Simocata historiam de Mauricio Imperatore. Item,*

*Com-*

*Commentaria in Prophetas minores B. Cyrilli Alexandrini.* Item,

*Dialogos quosdam de Spiritu & Carne.*

Meditatur in Ouidij Nasonis ea poëmata, quæ tutò legi possint, *Commentarium.*

IACOBVS SIRMVNDVS, natione Gallus, patria Aruernus Ricomagensis, vir est totius antiquitatis curiosus investigator, & Latinè Græceque impensè doctus. Scripsit quæ audiè ab omnibus expectātur,

*Commentaria in Sidonium Apollinarem Atuernū.*

Vertit è Græco in Latinum complures *Orationes SS. Patrum* numquam antea excusas, easque notis illustravit. Item,

*Vitam sanctissimi viri Pauli anachoreta admirandam*, hactenus Latinis incognitam, ex antiquo Græco Codice Sfortianæ bibliothecæ Latinitate donauit. De qua Baronius Card. Tom. x. Item,

*Vitam & præclaras res gestas Sancti Niconis Græcè conscriptas*, ex eadem Bibliotheca Sfortiana acceptas, in Latinum transtulit. Qui quidem *Nicon Armenus* genere fuit, & Cretensium ac totius pènè Orientis Apostolus, & sanctitate, prædicatione, ac miraculis floruit, circa annum salutis DCCCCLX, teste eodem Card. Baronio Tomo x. Item,

Petrum Siculum Latinum fecit, qui aduersus Manicheos egregium edidit *Commentarium ad Archiepiscopum Bulgariae.* Item,

*Epistolas quasdam Theodori Studite.* Porrò de SIRMVNDO honorificè meminit idē Cardinalis Baronius Tom. viii. & Tom. ix. *Hec, inquit, Latinitate donauit IACOBVS SIR MVNDVS Societatis IESV professor, inter nostri sæculi primos viros disertos merito adnumerandus.*

IACOBVS SZAFARNIVS, natione Polonus, anno salutis M. D. LXXI V. habitum nostræ religionis suscepit, ac multis annis egregius Concionator fuit, & cum laude Superioris munere functus est.

Vertit Polonicè *Vitam B.P. nostri IGNATII, à P. Petro Ribadeneira Latine conscriptam.*

IACOBVS VANGROVITIVS, natione Polonus, anno salutis M. D. LXVI. Romæ in Nouitiatu rudimenta posuit, fuitq; Poloniæ prouinciæ Vice-provincialis. Scripsit,

*Postillas in Euangelia.*

IACOBVS VIVECVS, natione Polonus, patria Vagobrecensis, adolescens nomen CHRISTO dedit in Societate, anno salutis M. D. LXIII. Deinde vitæ integritate prudentiæque laude eluxit, Latinis, Græcis atque Hebraicis litteris probè excultus, & scientiarum cognitione expolitus, trium Collegiorum Rector Poloniæ etiam atque Transyluaniae Prepositus Vice-prouincialis fuit. Scripsit multa materna lingua ad refutandos potissimum hereticos, & Catholicos in fide confirmandos. Ex quibus hæc sunt :

*Indicium quorundam Catholicorum de confessione Sedomiriensi hereticorum Sacramentariorum.*

*Conciones in Dominicis & Festis diebus per totum annum, quibus titulum fecit, Postilla maior in duas partes distincta, cum Apologia eiusdem contra Gregorium Ternouium Sacramentarium.*

*Conciones breuiores Dominicanorum & Festiuorum dierum per totum annum, seu Postilla minor. Quæ utique postillæ teruntur manibus parochorum.*

*De Purgatorio liber.*

*Dialysis assertionum Iacobi Niemorey.*

*De*

*De Ecclesia, doctrina Catholica, cum responsione  
ad obiectiones Iacobi Niemorei.*

*Horarias preces B. MARIAE Virginis in linguam  
Polonicam transtulit.*

*Vitam & doctrinam CHRISTI Saluatoris nostri,*  
ex quatuor Euangelistis à Iansenio collectam, in  
Polonicam linguam vertit. Et quoniam hæretici  
nihil habent antiquius, quam ut sacras Scripturas,  
tamquam communes Ecclesiæ fontes inficiant, de-  
prauatis translationibus corruptant, ut qui ex illis  
biberint, venenum hauriant; ut huic malo IACO-  
BVS occurreret, *Nouum testamentum iuxta vulga-  
tam editionem similiter Polonicè transtulit, additis  
argumentis singulorum Capitum, & Annotationi-  
bus ad marginem, & Scholiis, seu Interpretatione  
Orthodoxa eorum locorum, quæ hæretici ad sua  
dogmata confirmanda impiè detorquent, & eo-  
rum item quæ ad stabiliendam Catholicam fidem  
faciunt.*

*Psalterium item Davidicum, cum similibus argu-  
mentis & Scholiis contra hæreticos.*

Denique Biblia uniuersa, iuxta vulgatam editio-  
nem Polonicè reddidit; quæ, IACOBO VIVECO ad  
meliorem vitam translato, edita Cracoviæ sunt, an-  
no salutis M. D. XCIX. iussu & sumptibus Stanislai  
Kankomisij Archiepiscopi Gnesnensis Poloniæ pri-  
matis. Latinè vero exiit in lucem *Defensio Sacrificij  
Missæ sacrosancti, aduersus Franciscum Stancarum.*

*Libellus item pro diuinitate CHRISTI D. N. &  
Spiritus sancti.*

Obiit diem suum bonus atq; eruditus Pater Cra-  
couia, anno salutis M. D. XCVI.

**IGNATIUS AMANDVS**, natione Gallus, Theolo-  
gus

gus, *Epistolas* edidit contra Danielem Chamierum  
Caluinianę doctrinę apud Allobroges ministrum.

IGNATIVS BALSAMON, natione Gallus, scripsit  
*Ascetica* quædam Latinè, quæ & Gallico ac Bel-  
gico sermone leguntur. Item,

*Meditandi ac precandi modum*, Gallicè.

IGNATIVS MARTINEZ, natione Lusitanus, pa-  
tria ex oppido Gouea Diœcesis Conimbricensis, ad  
nostram se Societatem adiunxit viii. die Aprilis  
anni salutis M. D. xlvii. Hic sacræ Theologiaz  
Doctor ac Philosophicis disciplinis apprimè excul-  
tus, in Academia Eborenſi primus Aristotelis libros  
explanauit, & cursum, quem vocant, perlegendo  
confecit, Regique Sebastiano à sacris concionibus  
fuit. Postea Roma ex Congregatione generali in  
patriam rediens, totos xvi. annos, pueris, pauperi-  
bus, rudibus, seruis, militibus, Christiana doctrina  
imbuendis, & ad pietatem formandis, magna cha-  
ritate, magno spiritus ardore consumpsit. Erat enim  
morum integritate, humilitate, sui negle&tu, sœculi  
contemptione, Dei atque proximorum charitate  
suspiciendus. Itaque omnibus Dominicis atque Fe-  
riatis diebus semel atque iterum concionabatur ad  
plebem in carceribus, & ad triremes damnatos, &  
verbis ardētibus ad detestationem peccatorum in-  
flammabat. Sed dum aliorum saluti ut consulat sibi  
non parcit, in morbum incidit, & contempta vita  
mortali immortalem ac sempiternā consecutus est.  
Eius corpus Conimbricæ pridie Kal. Martij anni  
salutis M. D. xcvi. sepulturæ mandatum est  
incredibili hominum concursu, luctu, laude. Scri-  
psit vir tantus *Quatuor traitatus* Lusitanicè val-  
dè pios & utiles.

IOAN.

IOAN. ANT. VALTRINVS, natione Italus, patria Senensis, candidi vir ingenij, modestæque eruditio-  
nis, Sacras Romæ litteras decurso studiorum curri-  
culo publicè professus, scripserat adolescens, dum  
Eloquentiam profiteretur, sibi, ut aiebat, & Musis,

*De re militari veterum Romanorum lib. v. ab ipsis  
etiam æmulis laudatos: quos olim sibi ablatis in-  
uitus typis euulgatos inaudiuit.*

*Annuas ad hæc litteras Societatis anni M. D. XXCI.  
& M. D. XXCII. Superiorum iussu conscripsit.*

IOANNES A QVAPONTANVS, natione Britan-  
nus, scripsit suppresso nomine,

*De persecutione Anglicana.*

IOANNES ARNBRVSTERVS, natione Germanus,  
patria Franco, siue ex Franconia, Societati se dedit  
admodum iuuenis, anno salutis M. D. LXXII. Qui  
Spiræ linguam Græcam, poësin, & politiores litte-  
ras (quibus ab initio delectatus est) aliquot annos  
professus, atque in eisdem studiis mortuus est an-  
no salutis M. D C. III. XXVI. Martij.

*Extat Olinetum Spirensis rogatu Canonicorū Spi-  
rensum editum; & sine nomine eius, In mortem  
Danielis Archiepiscopi Moguntini varia compla-  
tio, & successoris VVolfangi gratulatio.*

IOANNES AZOR, natione Hispanus, patria Mur-  
cianus ex oppido Lorca, à teneris, quod aiunt, vn-  
guiculis, studiis deditus, & in nostra religione pænè  
educatus, in omnibus honestis disciplinis continen-  
ter versatus est, quas etiam præclarè auditoribus  
enucleauit; & Compluti & Romæ Diuinæ litteras,  
& D. Thomæ Theologiam, multos annos professus  
est, magno ingenio, excellenti memoria, assidua le-  
ctione, & egregia linguarum peritia. Scripsit,

*Rerum*

*Rerum Moralium seu Casuum conscientie Tom. III.*  
 valde eruditos; quorum tamen tertius nondum lumen aspergit. Fuit vir non minus candore animi ac  
 vita integritate, quam varia atque eximia eruditio-  
 ne insignis: qui Complutensis Collegij nostri Re-  
 actor fuit, & magno doctis viris ac bonis omnibus  
 sui relictio desiderio, annis grauis, laboribus fra-  
 ctus, meritis cumulatus, vitam cum morte Romae  
 commutauit, xix. Febr. anno salutis M.D.C.111.

IOAN. BAPT. PERVSCVS, natione Italus, dedit,  
*Historicam narrationem de Rege Mogoranico &*  
*regnorum Iaponiae conuersione, ex litteris annuis M.D.*  
*XCII. M.D. XCIV. & M.D. XCV.*

IOANNES BAPTISTA ROMANVS, natione Aegy-  
 ptius, patria Alexandrinus, vir fuit pietate singulari  
 & ardentissimo animarum zelo, pro quibus multas  
 & bene longas peregrinationes suscepit, labores  
 magnos sustinuit, varia salutis discrimina adiuit,  
 persecutiones grauissimas passus est. Denique Ro-  
 mæ cessit è vita, anno salutis M. D. XC I. Scripsit,  
*Doctrinam Christianam* Italicè, cum iconibus  
 mysteriorum fidei. Item,

*Catechismum lingua Hebreæ, Arabica, & Ma-  
 ronitica.*

IOANNES BAPTISTA VELATVS, natione Italus,  
 patria Pedamotanus ex castello cui nomen est Cre-  
 uacora, adolescens à B. P. N. IGNATIO in Societa-  
 tem Romæ admissus est, & ad pietatem institutus.  
 Deinde bonis litteris excultus, litteras humaniores  
 in Societate docuit. Superioris sèpè & Conciona-  
 toris munere perdiu functus est, & in senectute bo-  
 na propè octogenarius quieuit in pace, anno salu-  
 tis M. DC. I. Scripsit Italicè,

*Intro-*

*Introductionem ad vitam Spiritualem & perfectio-*  
*nem Christianam, pro singulis statibus, coniugato-*  
*rum, continentium, viduarum, virginum, & Reli-*  
*gioforum, cum Practica spirituali communi om-*  
*nibus.*

— IOANNES BAPTISTA VILLALPANDO, natione  
 Hispanus, patria Cordubensis. Vide suprà Hiero-

*nymus Praeius.*

IOANNES BONIFACIUS, natione Hispanus, pa-  
 tria Ciuitatensis ex oppido Sancti Martini del Ca-  
 stanar, annum agens xviii. sese ad Societatis in-  
 stitutum applicauit, & cùm ingenio atque eruditio-  
 ne præstaret, & in splendidioribus se disciplinis  
 laudatè posset exercere; non vulgi trutina, sed pru-  
 dentium virorum statera rem æstimans; maluit se  
 ad pueros moribus formandos litterisque erudien-  
 dos dimittere, quām speciosa minusque utilia se-  
 etari. Quamobrem x l. propemodum annos do-  
 cendis pueris impendit, magna charitate, magna  
 industria, magno fructu; eius enim opera atq; in-  
 stitutione factum est, vt permulti eius discipuli, re-  
 iecta seculi vanitate, habitum sacrarum religionum  
 induerint, aliquique præterea multi vitam Christia-  
 no homine dignam traduxerint, magno Reipubl.  
 bono. Scripsit BONIFACIUS,

*De Christiana institutione iuuentutis.*

*De Sapiente fructuoso.*

*Epistolas & orationes varias.*

*De vita & miraculis B. MARIAE Virginis.*

IOANNES BORDES, natione Gallus, patria Burde-  
 galensis, scripsit Gallicè librum cuius titulus est,

*Les vraies abus des pretendus abus de la Messe: pour*  
*responce à B. Deloque ministre de Castel gelonx.*

*De*

*De Sacrificio Missæ contra Caluinum.*

IOANNES BVSÆVS, natione Belga, patria Nouiomagensis, adolescens in ipso ætatis flore, atque vicelimum annum agens, Kalendis Iulij anni salutis M. D. LXIII. Societatem nostram complexus est. Deinde ad nostrum institutum conformatus, primum litteras humaniores ac Philosophicas docuit, tum Romæ Theologiam didicit, in qua eos fecit progressus, quos postea docendo & scribendo ostendit. Nam & sacram Scripturā, & Theologiam, quæ via & ratione philosophatur, & quæstiones de moribus, annos fermè duos & viginti Moguntiæ, vbi adhuc floret, professus est; innocentia ac sapientia opinione clarus. Edidit quæ sequuntur:

*Disputationem Theologicam de Ieiunio & delectu ciborum contra hereticos.*

*Disputationem de persona CHRISTI aduersus Vbiquitarios.*

*Apodixin Theologicam pro ritu orandi Rosarium B. MARIAE Virginis, xx. propositionibus comprehensam.*

*Rosarij Hyperaspisten*, hoc est, depulsionem cauillationum, quibus Caluinista quidam Heidelbergensis eiusmodi Apodixin frustrà obscurare conatus est.

*Disputationem Apologeticam pro Kalendario Gregoriano contra Jacobum Herbrandum Doctorem Lutheranum Tubingensem.*

*Disputationem de descensi CHRISTI ad inferos, aduersus decretum libri concordie Lutherorum.*

Item, *Apologeticū disputationis de persona CHRISTI*, cauillationibus Stephani Gerlachij Vbiquistæ oppositum.

Item,

Item, Refutationem duplē canillationum à Stephano eodem obiectarum.

Responsionem ad Theses Theologorum Lutheranorum Magdeburgensium, de Missa Pontificia, & Cenæ Dominicæ profanatione.

Disputationem Theologicam de Baptismi necessitate, & de Baptismo Constantini Magni.

Paradoxa xxx. Gasparis Schruenckfeldij Hæresiarchæ, de toto CHRISTO DEO & homine, in statuta sacræ Scripturæ, SS. Patrū, & Rationis expensa. Ad hæc in lucem eruit,

Anastasium Bibliothecarium de summis Pontificibus, numquam antea excusum.

Cui adiuncti sunt Luidibrandi Ticinensis Diaconi (vel potius alterius) opusculum De ritu Romanorum Pontificum. Item,

Abbonis Floriacensis Epitomen, ex Anastasij historia excerptam.

Hincmari Rhemensis Episcopi Epistolas nonnullas numquam editas.

Vitam sancti Vigberti socij sancti Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, & B. Auperti Bingionum. Dicis.

Opera Petri Blessensis Bathoniensis in Anglia Archidiatoni correcta, & notationibus illustrata.

Et Joannis Trithemij opera de Ecclesiasticis Scriptoribus. Et utriusque Appendicem.

Idem Pater IOANNES BVSÆVS ex Italica lingua in Latinam vertit varia Indica, Iaponica, & Chinensia.

Vincentij Bruni Tres Tomos Meditationum.

Fulniij Androtij opuscula De frequenti Communione, & De passione Domini.

H

Respon-

*Responsonem Bellarmini ad Doctorem Theologum de censuris contra Venetos.*

*Gasparis Loartis de Mysteriis xv. Rosarij.*

*Francisci Arie tractatus, De imitatione B. VIRGINIS, De profectu spirituali, diffidentia sui, & mortificatione.*

\**IOANNES COVILLONIVS*, natione Belga, patria Insulensis, vir si quis alius candidus, sincerus, pius, eruditus, qui anno (ni fallor) M. D. X L I I I. Louanij se nostris adiunxit, & in Lusitaniam profectus, in Collegio Conimbricensi, ac Romano, & Ingolstadij in Germania item Philosophicas atque Theologicas disciplinas professus est, & in Concilio Tridentino Alberti Ducis Bauariae nomine interfuit, ac sententias cum aliis Patribus dixit, & pie vita functus est, anno Domini M. D. LXXXI. Reliquit

*Assertiones in Epistolam priorem D. Pauli ad Corinthios, quam Romę interpretatus est, & in Psalmos Quastiones.*

*IOANNES DAVID*, natione Belga, patria Cortacensis, gubernandi munere Cortaci, Bruxellis, & Gandaui claruit, dicendique venustate, & inuentionis solertia, iconibus scripta sua pleraque cum admiratione spectantium illustrat. Edidit autem,

*Veridicuum Christianum, seu, de Fidei Christianae capitibus, Latinè ac Belgicè.*

*Occasionis Typum.*

*Paradisum sponsi & sponsæ. in quo*

*Messis Myrrhae & Aromatum, siue, De Instru-*

*mentis ac mysteriis Passionis CHRISTI. &,*

*Pancarpiu Marianum, siue, De B. M. VIRGI-*

*NIS laudibus gestisque.*

Et hæc quidem omnia cum iconibus prodierunt  
Plan-

Plantiniana officina. Belgicè verò scripsit,  
*Aluearium*, aduersus Philippum Aldegundum  
 Caluinianum.

*Araneum Hæreticum.*

*Labyrinthum hereticorum.*

*Viridarium Rituum ac Cæmoniarum Ecclesiæ.*

*Oeconomum Christianum cum Spongia vitiorum.*

*Sortem sapientia.*

Item libellum qui inscribitur, *Lapis Lydius.*

IOAN. DECKERIVS, natione Belga, è Flandria oriundus; Neapoli haustis quondam disciplinis sacrarum Litterarum ac Scholasticæ Theologiæ, Duae & Louanij Grudiorum easdem publicè professus, scripsit,

*Exercitium Christianæ pietatis.*

Græcij verò in Austria docens, *Velificationem*, seu, *Theoremata de anno ortus ac mortis C H R I S T I* con-  
 trouerso, deque uniuersa *CHRISTI in carne Oecono-*  
*mia.* datus breui & Tomos aliquot

*De sacra Chronologia, seu Temporibus.*

IOANNES DOMINICVS CANDELA, natione Si-  
 culus, patria ex oppido sancti Philadelphi, ingre-  
 sus est Societatem, anno salutis M. D. LXIII. æta-  
 tis XXII. qui postquam per xx. annos concionato-  
 ris partes egit, ac trium Collegiorum & Professæ  
 domus Panormitanæ curam habuit, & Nouitiis no-  
 stris ad Religionem formandis operam impendit,  
 Prouinciæ Siciliæ præfuit. Scripsit,

*Librum De Virginitate*, in tres tractatus distin-  
 ctum, videlicet,

*De Bono Virginitatis.*

*De statu Virginitatis.*

*De moribus Virginum.*

IOANNES DURÆVS, natione Scotus, scripsit libellum in quo x. *propositiones* *Edmundi Campiani* eruditè propugnat, & aduersus calumnias hæreticorum defendit, potissimum contra Wittakerum ministrum.

IOANNES FERDINANDVS, natione Hispanus, patria Toletanus, vir singulari eruditione & pietate, Græcas litteras professus est Toleti antequā CHRISTO in Societate nomen daret: deinde tanta auiditate ac studio sacram Theologiam arripuit, haust, perdidicit, ut in Hispania, & Romæ, & in inferiore etiam Germania, illam publicè explanaret; & Hispanica, & Latina, & Italica lingua concionibus habendis, vehementer populum commoueret ad pietatem. Erat enim silentio, lectioni, orationi omnino deditus, & à confabulationibus & communī hominū consuetudine alienus, nisi si quid ad ipsorum utilitatem transigendum esset. Itaque assidua oratione ac familiaritate cum Deo viuebat; & sanctarum Scripturarum lectione, tamquam cælesti manna pascebatur: Dei zelo animarumque salutis usque adeò ardebat, ut in Germania inferiore, cum in exercitu Regis Catholici Philippi Secundi iuando milites versaretur, in apertum se nonnumquam disertimē coniceret, & in eas se angustias sèpè inferret, ut ab hostibus vndeique tormentis telisque missilibus appetitus, vix posset euadere, absque miraculo. Idque ea tantummodo ratione, ne milites in fossa saucijs, atque animam agentes, sine confessione peccatorum è vita decederent. Multas habuit diuinæ illustrations, quibus mirificè à Deo recreabatur. Obitus sui diem præsensit ac præsignificauit, & Palentiæ sanctè decessit è temporali ista atque

atque ærumnosa vita, ad sempiternam illam atque felicissimam, in qua Deus videtur sicuti est, anno salutis M. D. XCIV. IX. die Martij, etatis sue LIX. quorum XL. vixit in Societate. Scripsit,

*Divinarum Scripturarum iuxta sanctorum Patrum sententias locupletissimum Thesaurum, tribus Tomis distinctum: in quo per singulas dictiones, ordine Alphabeti litterario, Parabolæ, Metaphoræ, Phrasæ, & difficiliora loca totius sacrae Scripturæ declarantur. Ex tribus his Tomis primus exiit in lucem, & typis mandatus est. Secundus omnino absolutus prælum expectat. Tertio inchoato & ad fastigium pænè perducto finem FERDINANDO imponere morte intercepto non licuit.*

IOAN. FRANC. CARETTONIUS, natione Italus, patria Romanus, edi permisit à se habitam

*Orationem de CHRISTI MORTE. Item,*

*Annas Societatis litteras, anni M. D. XCIIII.*

IOANNES GABRIEL BISCIOIA, natione Italus, patria Mutinensis, annum agens XVI. cum fratre LALIO Bisciola natu minore Romæ à B. Patre nostro IGNATIO in Societatem admissus est, anno salutis, ni fallor, M. D. LV. postea humanioribus, Philosophicis, atque Theologicis litteris eruditus, & aliquot Collegiis praefectus, præclara religionis, modestiæ, prudentiæ vbique documenta præbuit, seq; verum IGNATII filium præsttit. Scripsit,

*Epitomen decem Tomorum Annalium Card. Baronij, magno labore, iudicio, ac Reipub. bono. Nam cum breuitate perspicuitatem coniunxit, & selectissima quæque, & ad Ecclesiastice historiæ cognitionem utilissima, ita decerposit, collegit, & in unum opus rededit, ut viri eruditii, qui à lectione Anna-*

*lium*

H 3

lium

*lum Card. Baronij*, propter eorum immensitatem, pñè deterrebatur, facillimè possint opus ingens in compendium contractum, absque temporis iactura percurrere.

IOANNES GIBONVS, natione Anglus, patria Wintoniensis, propter insignem probitatem ac scientiam à GREGORIO XIII. Pont. Max. Canonicatu Bonnense in Vbiis donatus, omnibus diuitiis & honoribus, CHRISTI ignobilitatem ac paupertatem prætulit; & anno salutis M. D. LXXVIII. Societatem nostram ingressus est Treueris, ubi sancte Theologiae Doctor & Professor, & Collegij Societatis Rector fuit. Scripsit,

*Disputationem de Sanctis.*

*Confutationē virulentæ disputationis Georgij Schon Caluiniani Professoris in Academia Heidelbergensi, qui conatus erat docere Pontificem Romanum esse verum Antichristum.*

*Disputationem De communione Eucharistiae sub una specie.*

*Concertationem Ecclesiæ Catholice in Anglia aduersus Calvino-papistas & Puritanos sub Elizabetha Regina, in tres partes diuisam.*

Vir fuit verè humilis, suavis moribus, zelo ac charitate feruens, qui in monasterio Himmelrodense, quò salutatum monachos amicos suos venerat, anno salutis M. D. XXIX. III. Decembris pò cessit è vita.

IOANNES HAIUS, natione Scotus, scripsit Scoticè & Gallicè,

*Interrogationes ad Sectarios prædicantes.*

*Apologiam illarum, Gallicè.*

*Antimonium ad Responsa Bezae, Gallicè.*

Latinè

Latinè verò scripsit, *Disputationum lib. II. contra Ministrum Anonymum.*

*Scholia brevia in Bibliothecam sanctam Sixti Senensis*, in Lugdunensi editione.

Collegit ac vertit *Iaponicas ac Peruanas Sociorum Epistolas*, editas typis Nutij.

Obiit Musiponti XXI. Maij anno M. DC. VIII.  
quo anno & Carolus III. Lotharingiæ Dux, de  
nostris bene meritus, decepsit.

IOANNES HAIVS SERVIUS, natione Belga, pa-  
tria Hannonius, Philosophiam Duaci, Sacrasque  
litteras publicè professus, gubernandi munus diu  
tenuit. Edidit Duaci Belleri typis,

*Concordiam IV. Evangelistarum*, cum SS. Patrum  
Græcorum Latinorumque in eamdem sententiis.

IOANNES HARLEMIVS, natione Batavus, patria  
Harlemensis. Vir in sacris Scripturis peregregie  
versatus, quas & ex Hebræa lingua Louanij apud  
suos interpretatus est. Scripsit,

*Indicem Biblicum*, breuitate exiguum, utilitate  
maximum.

IOANNES HESIVS, natione Belga, patria Sylva-  
ducensis, XIV. Ianuarij anno salutis M. D. LXII.  
Coloniæ nostris adscriptus est. Hiç in Prouincia  
Rheni strenuum se Societati ministrum exhibuit.  
Nam Coloniæ ter Philosophiæ docendæ, Herbipo-  
li Theologiæ nonies, obeundæ Prouincię adiunctus  
comes & Consiliarius tribus Præpositis Prouincia-  
libus, assiduum atque utilissimum laborem impen-  
dit. Rectoris officium bis Embricę Clitorum, Pro-  
vincialis semel obiuit. Constantia animiq; magni-  
tudine ranta prædictus, ut Embrica cum suis ab hæ-  
reticis cedere iussus, neque minis, neque terroribus,

neque hostium exercitu se de mentis constantia deduci passus sit, perstiteritq; hæreticis inuitis ac frequentibus in ciuitate. Scripsit, vel perfecit potius,

*Opus Petri Busæi*, qui *Catechismum P. Petri Canisij sanctorum Patrum auctoritatibus locupletauit.*

Illustrauit etiam *Cæsarij Heisterbachensis exempla*; & vt visiones quæ in illis referuntur, confirmaret, benè longam Præfationem adiecit.

**IOANNES LORINVS**, natione Gallus, patria Aunionensis, vir doctus, & qui Sacras litteras cum laude professus est. Scripsit,

*Commentarios in Acta Apostolorum, & in Ecclesiastem, & Sapientiam Salomonis.*

**IOANNES LVCENA**, natione Lusitanus, patria ex oppido Trancoso Diœcesis Vifensis, in Collegio nostro Conimbricensi, puer xv. annos natus ad Societatem admisus est, ipso die Natalitio D.N.I.ESV CHRISTI, anno salutis m. d. l x v. Deinde Philosophicis atque Theologicis litteris excultus est, magnamque bonarum artium scientiam consecutus. Aristotelicas disciplinas Eborensi in Academia professus est. Sed cùm aliis rebus L. v. c. e. n. a excelluit, tum maximè Oratoria facultate. Itaque de loco superiore ad populum verba faciens, admirabilè hominum concurso, plausu fructuque audiebatū. Quo in concionandi munere x x. annos maxima cùm laude posuit, & ad extremum usque spiritum perseverauit; quem in D. Rochi professa domo Olyssiponensi piè sancteque effudit, anno salutis m. d. c. i. i. Octobris. Vir fuit omnibus ornatus virtutibus, sed potissimum patientia, animi submissione, lacrymarum dono, & in aduersarios caritate. Selipsit materna atque eleganti lingua libros x. De

*De Vita B. Patris Francisci Xauier, de quæ rebus,  
ipso viuente, à nostris in India gestis.*

IOAN. LUDOVICVS DE LA CERDA, natione Hispanus, multe vir lectionis atque indefessi studij, Eloquentiæ ac Poëticæ in Societate assiduus in Carpetanis professor, accuratum dedit *Commentarium in Bucolica & Georgica Virgiliy*; breuiorem mox in xii. *Æneidos libros daturus*: polliceturque, si vite ysura longior Dei benignitate dabitur, manum iſſurum se & *Tertullianum antiquissimum & grauiſſimum scriptorem* à se edolatum.

IOANNES MACIRVS, natione Germanus. Scripsit *Brenem admonitionem in epistolarem disceptationem inter se & Dauidem Paræum Calvinistam Heidelbergensem.*

IOANNES MAIOR, natione Belga, Atrebas patria, edidit à se emendatum, Exemplis ac notis auctum, *Speculum Exemplorum anonymi*, sèpiùs Duaci nunc euulgatum.

IOANNES MALDONATVS, natione Hispanus, patria Bæticus, vel potius ex ea parte antiqua Lusitaniae, quæ Estremadura hodie dicitur, ex oppido quod vulgo vocatur *Fuente del Maestro*. Primam ætatem in Academia Salmanticensi egit, doctissimis & celeberrimis usus præceptoribus; inter quos *Franciscus Toletus S. R. E.* postea Cardinalis fuit. Deinde studiis confectis, se nostræ Societati consecravit. Tum Romam euocatus, in Collegio nostro Theologiam docuit. Sed dum Collegij nostri Parisiensis scholæ primùm aperiuntur, singulari Dei consilio Lutetiam est missus: ubi primus è nostris Theologiam totos x. annos professus est, magna celebritate, ingenioque auditorum concursu, nec mi-

nore fructu : nam eius è ludo prodierunt viri cruditi quamplurimi, Episcopi, Doctores, Concionatores, Parochi. Fuit vir ingenij subtilis, iudicij admirabilis, memorię excellentis, diligentiae incredibilis, indefessi studij, laboris supra vires patiens. Atque hęc Dei dona aliis maioribus obscurabantur. Magna enim in eo erat rerum despicientia, magna laudis & aurę popularis contemptio, humilitas ac modestia eximia, ardens ac iuge Orationis ac Meditationis studium, summa in cibo potuq; parcitas, paupertatis Euangelicæ rigida obseruatio: in summa, vir fuit mundo sibiq; crucifixus : qui denique à GREGORIO XIII. Pont. Max. è Gallia in Vrbe accersitus, ut operam suam præstaret ad editionem Græcam LXX. Interpretum, quā parabat; haud multo pōst Romę cessit è vita, piorum laborū præmia à DEO cōsecutūs, ætatis vixdū anno L. salutis verò M. D. XXCIIL. ineunte. Scripsit eruditissimos Commentarios in quatuor Euangelia, in II. Tom. diuisos, qui in Lotharingiæ præclara Academia Musipontana apud Stephanum Mercatorem anno salutis M. D. XCVI. primum, & deinceps passim in Gallia, Italia, & Germania editi sunt. Scripsit etiam, *Summam casuum conscientiæ.*

*Commentarios in Prophetas maiores.*  
Atque alia præstantissimi sui ingenij nobis reliquit monumenta, quę nondū tamen typis excusa sunt.

IOANNES MARIANA, natione Hispanus, patria Talabrigensis, Diœcesis Tolet. adolescentulus XVII. annos natus, cùm litteris Compluti operam daret, nuncium mundo remisit, seque Societati nostrę dedicauit, anno salutis M. D. LIV. Deinde maximo ingenio, peracri iudicio, singulari memoria, multo-

rum

rum annorum studio, omne disciplinarum genus diligentissimè excoluit, & ad S. Theologiam, raram omnium liberalium artium & Historiæ tum Ecclesiasticę tum profanę cognitionem, & præterea Latinę, Græcę, atque Hebraicę linguę peritiam adiūxit. Romę, in Sicilia, in Academia Parisiensi D. Thomam Aquinatem magna cùm laude publicè est interpretatus. Est enim in inueniendo acutus, in iudicando seuerus, in disponendo distinctus, perspicitus in explicando, acer in disputando: sed morbis impeditus, coactus est studiorum cursum vel interrumpere vel remittere, & animum ad studia letiiora transferre. Itaq; in Hispaniam rediit, & Toleti com-moratur; ubi ne nihil ageret, scripsit hactenus,

*Annalium Hispanie libros xxx. Latinè & Hispa-nicè. De cuius Historia sic Cardinalis Baronius Tom. v i i i. Annalium Ecclesiast. Sensit hoc atque fugillauit veritatis amator, & pietatis optimus cultor, qui eruditio stylo postremam manum apposuit rerum Hispanicarum historia, Hispanus & ipse, sed affectio priuato carens, IOANNES MARIANA dignus Profes-sor Societatis I E s v. Item,*

*De Rege & Regis institutione, lib. i i i.*

*De ponderibus & mensuris, lib. i.*

*Tractatus v i i. cùm Historicos, tum Theologi-cos: nimirum,*

*De aduentu B. IACOBI Apostoli in Hispaniam.*

*De editione Vulgata SS. Bibliorum.*

*De die & anno mortis CHRISTI.*

*De annis Arabum cum annis nostris comparatis.*

*De spectaculis.*

*De moneta mutatione.*

*De morte & immortalitate lib. i i i.*

Biblio-

*Bibliothecam Photij, in Epitomen rededit: & Latinas fecit B. Cyrilli Alexandr. Episc. soprasinatis Homilias: quæ duo tamen lucem nondum aspicerunt.*

IOANNES PETRVS MAFFÆVS, natione Italus, patria Bergomas, vir si quis alius nostro seculo Latinè Italiceqne scribendi peritus. Cum iuuenes aliquot nobilissimos Liguriæ in ciuitate Genuensi instituisset, & ad eloquentiam conformasset, Romam venit, & se in probationis domum ad Societatis nostræ regulam formandum tradidit, anno salutis, nisi memoria fallit, M. D. LX. ætatis circiter XXX. Scripsit pereleganti stylo,

*Historiarum Indicarum lib. XVI.*

*Selectarum item ex India Epistolarum lib. IV.*

*De vita B. P. N. IGNATII LOYOLÆ lib. III.*

*Item, Vitas XIIII. sanctorum Confessorum, Italice.*

*Fertur & reliquissle De Vita GREGORII XIII.*

*Pont. Max. libros XIII.*

Obiit ingenti Sociorum luctu, anno salutis M. DC.  
III. XX. Octobris.

IOANNES MVLHVSINVS, natione Germanus, patria Thurinus, S. Theologiæ Doctor & Professor. Scripsit pro Catholica religione, contra Dauidem Paræum Heidelbergensem Ministrum,

*Speculum miseriарum Dauidis Parai.*

*Censuram disputationis prima de sacra Scriptura auctoritate, necessitate & usu, Dauidis Parai: adiectis etiam Notis & Animaduersionibus cum Vindicatione. Item,*

*Censuram Moguntinam, disputationis eiusdem Parai.*

*Auctarium speculi miseriарum, eiusdem Caluiniste.*

IOAN-

IOANNES ORANVS, natione Belga, patria Leo-  
diensis, vir fuit virtute, litteris, prudentia, & rerum  
agendarum peritia insignis, qui Theologiam Lute-  
tiæ Parisiorum professus est, & aliquot Collegio-  
rum nostrorum Rector, & Belgicæ Prouincię Vice-  
prouincialis fuit: anno salutis M. DC. III. piè vi-  
ta defunctus est Montibus Hannoniæ. Transtulit  
elegantि stilo in Latinam linguam ex Hispana librū

P. Petri Ribadeneiræ, de Principe Christiano, aduer-  
sus Nicolaum Machianelum, ceterosque huius tem-  
poris Politicos. qui liber Antuerpiæ primùm editus  
est apud Ioachimum Trogn̄esium, anno M. DC. III.  
& deinceps in Germania. Scripsit &

*Litteras Iaponicas, Magarenicas, & Chinenses.*

Breuem item pro Societatis innocentia Defensio-  
nem aduersus Lugduno Batauos.

IOANNES OSORIVS, natione Hispanus, patria  
Burgensis, ex oppido Villa Sandino, adolescentulus  
xvi. tantum natus annos, Societati se tradidit Sal-  
manticæ, anno salutis M. D. LVIIII. in qua grauio-  
res disciplinas didicit, & professus est Utilem atque  
assiduam in concionibus ad populū habendis ope-  
ram posuit; & vt stylo posteris prædederet, sicut præ-  
sentibus voce profuerat, Tomos quinque Concionum  
in lacem emisi, sextum absolutum, & prælo para-  
tum reliquit, qui denique in Collegio nostro Me-  
thymnensi cursu huius vitæ feliciter confecto, mi-  
grauit ad Dominum, anno salutis M. D. XCIII.  
ætatis LI.

IOANNES PELEYVS, natione Germanus, Ingol-  
stad: S. Theologiæ Professor. Scripsit,

*De Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charita-  
te, singulos libros.*

De

*De Ecclesia CHRISTI militante in terris.*

*De Iustificatione hominis iniusti coram DEO.*

*De B. MARIAE Virginis vita ad publicam disputationem proposita.*

*De Deo quā is ex creaturis à nobis cognoscitur.*

*De originali hominis iustitia & iniustitia.*

*De Sacramentis nostra Legis.*

*De augustissimo Eucharistiae Sacramento & sacrificio.*

IOANNES PINEDA, natione Hispanus, patria Hispalensis, vix ephebus, ætatis anno xv. nondum expleto, salutis m. d. lxxii. seculo valedixit; & CHRISTI vexillum secutus, Societati nostræ nomen dedit, in qua & Philosophicas litteras & Theologicas præclarè didicit, & professus est: nam & Aristotelem quadriennium feliciter exposuit, & D. Thomam biennium interpretatus est, & sacros Diuinę Scripturæ fontes vxi. annos tum Cordubæ tum Hispali patefecit. Scripsit excellenti ingenio, magno iudicio, varia eruditione,

*Commentariorum in Job, Tomos ii. meditaturq; & alia in S. Scripturam.*

IOANNES POLANCVS, natione Hispanus, patria Burgensis, humanioribus litteris excultus, & Philosophicis etiam disciplinis in Parisiensi Academia eruditus, Romam venit, ubi Scriptor (ut vocant) Apostolicus factus, in ipso iuuētutis flore animum appulit ad nostram Societatem, anno salutis m. d. xlxi. Deinde Patauij SS. Theologiæ dedit operam, magno ingenio, graui iudicio, labore assiduo. Postea Romam à B. P. nostro IGNATIO reuocatus, omnium per ix. annos consiliorum, actionum, totius denique gubernationis præcipuus minister illius

illius atque adiutor fuit. B. verò IGNATIO in cę-  
lum sublato , apud Jacobum Laynem (cuius etiam  
Assistens fuit ) & apud Franciscum Borgiam , qui  
proximè in Generalatu IGNATIO succellerat, eum-  
dem locum tenuit. In gubernanda namque Socie-  
tate illi plus IOANNE POLANCO vtebantur nemine.  
Ille à secretis erat ; ille omnium litteris ac consulta-  
tionibus respondebat : ille negotiorum , ille rei fa-  
miliaris curam gerebat ; vt vnu omnium fermè  
obire officia , & suis humeris vniuersam quodam-  
modo Societatem sustinere videretur : exquisita  
obedientia, diligentia singulari , rara patientia atq;  
modestia. Illud præterea sæpenumerò non absque  
admiratione animaduertimus , in ipso maximarum  
occupationum concursu, eundem semper vultum,  
eamdem in IOANNE POLANCO frontem fuisse. Post  
obitum P. Francisci Borgia factus est Vicarius Ge-  
neralis , præfuitque Congregationi Generali , qua  
P. Euerardus Mercurianus Præpositus Generalis  
creatus est: à quo missus in Siciliam, vt Prouinciam  
illam visitaret, suo munere egregiè perfunctus, Ro-  
manam rediit ; vbi haud multò pòst ex morbo decu-  
buit, & optimè de Societate, atque adeò de vniuer-  
sa Ecclesia meritus , sexagenario maior , è vita de-  
cessit, anno salutis M. D. LXXVII. Scriptit Libel-  
los tres pios atque eruditos:

*Directorium Confessariorum. alterum,*

*Methodum iuuandi eos , qui animam agunt , ac  
morti proximi sunt. tertium,*

*De septem Peccatis mortalibus.*

*De Humilitate item paulò ante mortem aptissi-  
mè ac luculenter scripsit.*

IOANNES RABELLVS , natione Lusitanus , patria  
ex op-

ex oppido Prato, Diœcesis Lamecensis, puer xv.  
tantum annos natus Societatem nostram expetiuit,  
& complexus est xx. Iulij anni salutis m. d. lix.  
Is ad omnem se virtutum disciplinam miru in mo-  
dum exercuit, oratione excelluit, mortificatione  
præsttit, caritate erga proximos fuit admirabili. Ita-  
que totos ipsos pñè xliv. annos, quos in Socie-  
tate vixit, audiendis confessionibus, concione com-  
mouendis populis ad pietatem, congregationibus  
instituendis, sancte utilemque traduxit. Animarum  
quæ in purgatorio culparum suarum pœnas exsolauit,  
affiduus atque pius auxiliator fuit. Dominicæ pa-  
ssionis perpetuus meditator, beatissimæ Virginis Ma-  
riæ addictissimus seruus, in cuius patrocinio ac-  
quiescebat, in eaque colenda, laudibusque prædi-  
candis multus erat. Ex quo populos maximè horta-  
batur, ut piis precibus, ieuniis, eleemosynisque, de-  
functorum in CHRISTO animas à Purgatorijs acer-  
bissimis cruciatibus liberarent, & CHRISTI Salua-  
toris in Cruce affixi memoriam perpetuò retinerent,  
& ad sacratissimam VIRGINEM tamquam ad por-  
tum, siue adspirante, siue reflante fortuna, confuge-  
rent. Et ubicumque locorum poterat Sodalitates  
piorum hominum ad hæc tria præstanta instituit,  
& legibus informatuit; itaq; eius opera, pietas, ora-  
tionis studium, & in Deiparam deuotio in Lusita-  
nia mirificè est propagata. Sed IOANNEM RABEL-  
LVM hæc meditantem, agentem, perficientem, mors  
sustulit, atque ad beatam vitam, ut speramus, trans-  
tulit, xiv. Iulij, anni salutis m. dc. ii. Scripsit li-  
brum *de Rosario* (sic enim vocant) B. Virginis Ma-  
riæ. Item,

*Dialogos duos de eadem sanctissima Virgine.*

*Commen-*

*Commentationes ad doctrinam Christianam.*

*Tractatum de Vita CHRISTI.*

Alia præterea multa scripsit, quæ nondum lucem aspicerunt, breui fortè tamen aspicient.

IOANNES RENAVDIANVS: scripsit librum cui titulus,

*Affectus animæ deuotæ ex Psalmodia Davidica.*

IOANNES RHETIVS, natione Germanus, patria Coloniensis, ex familia patricia Consulari, Romam anno salutis M. D. LIV. profectus est, iuuenis, viuente adhuc B.P. nostro IGNATIO: deinde in Collegio Romano excultus, & grauioribus disciplinis eruditus, rediit in patriam, vbi Theologiam docuit, & concionibus populum vehementer inflammauit ad pietatem; & tum singulari animi modestia & lenitate, tum exquisita solidaque doctrina hæreticorum conatus repressit, multumque Catholicæ religioni attulit adiumenti. sed vir maximè religiosus ac pius ab homine infano (Iudicia Dei abyssus multa) miserabili casu interfectus est, anno salutis M. D. LXXIV. Scripsit suppressio nomine,

*Observationes in librum primum Epist. M. Tullij Ciceronis ad T. Pomponium Atticum.*

IOANNES THEODORICI MACHERONTINVS, natione Belga, ex oppido Macheron, quod ditionis Luxemburgensis ad Mosellam fluuium situm, prodidit in lucem; atque anno salutis M.D. LXVI. Martij die octaua in Societatem Treueris admissus est: qua in ciuitate, & Colonię item, Aquisgrani & Spiræ, docendo, concionando, confessiones sacras audiendo, idoneum se CHRISTI fidelemque ministruum præbuit. Est enim vir sincerus, religiosus, & gloriæ Dei salutisque hominum amans. Scripsit

pro eruditione Parochorum, *Catechismum*, Treuerensis Archiepiscopi auctoritate euulgatum.

IOANNES TORRES, natione Hispanus, patria Methymnensis, quindecim annorum dumtaxat se addixit Societati, & volumen scripsit Hispanicè, variæ eruditionis, quo *Christianam Philosophiam de moribus* xxv.lib.complexus est, Burgis excusum. Qui thesaurus è Patribus & Philosophis sententias summo dele&tū quæsitas continet.

IOANNES ROXAS, natione Hispanus, patria Tolitanus, adolescentulus xvii. annos natus Societatem nostram ingressus est, anno salutis M.D.LXIX, & postea ad Religionem institutus, & litteris probè instructus, tum docendo, tum concionando, tum etiam gubernando, benè meritus est de Societate, &

*Libros Horati Tursellini de sacra domo Lauretana, ex Latina in Hispanicam linguam conuertit.* Sed cùm opus ingens *De vita ac morte CHRISTI Domini nostri* haberet in manibus, ac prælo subiicere cogitaret, ad feliciorem vitam translatus est, in Collegio nostro Madritano xxix. Septembris, anno salutis M.DC.V.

IOANNES VÖELLVS, natione Gallus, Eloquentiam apud suos annos plurimos professus, compo-  
suit, & typis euulgauit,

*Artificium componendæ Orationis.*

*De ratione conscribendi Epistolas.*

In Mathematicis verò,

*De Horologiis sciothericis.*

IOANNES VVIALIVS, natione Roxolanus, pa-  
tria Leopolitanus, Romæ iuuenis, atque artium Ma-  
gister cùm esset, ad nostrorum numerum adscriptus  
est, vir imitis omnino, eruditus, Musarumq; aman-  
tissimus.

tissimus. Scripsit Polonicè,

*Meditationes Vita Christi.*

*Meditationes item B. MARIAE Virginis; & Formam Vita Christianæ, adiunctis variis precatiōnibus.*

JOSEPHVS ACOSTA, natione Hispanus, patria Methymnēsis, à puerō se Religioni nostræ addixit, & quatuor alios natu maiores fratres habuit in Societate: quorum duò mortui, duo alij *Hieronymus* & *Bernardinus* superstites adhuc sunt. Ipse verò JOSEPHVS præstanti ingenio, acri iudicio, labore indefesso, omne disciplinarum genus didicit & professus est. Deinde in occidentis Solis Indiam nauigauit, & Peruānam nostrę Societatis Prouinciam, Præpositus Prouincialis gubernauit. In Hispaniam reuersus, in Aragoniæ ac Bæticæ prouinciis Visitatoris partes egit; aliis etiam regendi muneribus functus est. Scripsit,

*De CHRISTO renelato lib. ix.*

*De Temporibus nouissimis lib. iv.*

*De Natura Nomorbi lib. xi.*

*De procuranda Indorum salute lib. vi.*

*Historia Naturalis & Moralis Indiæ lib. vii.*

*Concionum Tomos iii. graui & eleganti stylo.*

Demum cùm Salmanticensis Collegij nostri habendas regeret, atque integratatis, doctrinæ, ac prudenter laude floreret, morbo oppressus & extinctus est, anno salutis M. D. XCIX. ætatis fermè LX.

JOSEPHVS BLONDVS, natione Siculus, patria Bibonensis, Prouincialis tum Longobardiæ tum Siciliæ munere functus est, ac librum scripsit *Meditationum*, ad iuuandos & promouendos eos, qui in spiritu proficere cupiunt.

**JOSEPHVS CRESVELVS**, natione Anglus, patria Londinen sis, nonnulla suppressio nomine euulgauit ad refutandas hereticorum calumnias, & detegendas fraudes, quibus Politici ad circumueniendos atque opprimendos Catholicos abutuntur.

Descripsit & *Martyrium P. VV Alpoli*, in Anglia passi: quod & Gallicè atq; Hispanicè circumfertur.

**IVLIVS FACIVS**, natione Italus, patria Neapolitanus, à prima ætate sæculi inanitate reiecta, institutum nostrum amplexus est: in Lusitania diu vixit, & litteris eruditus est. In Italiam reuersus, Domui probationis sancti Andreæ Romæ præfuit, Patri Euerardo Præposito Generali à Secretis fuit: postremò Siciliæ Prouincialis, & piè vitam cum morte commutauit. Scripsit Italicè,

*De Mortificatione.*

**IVLIVS MAZARINVS**, natione Siculus, patria Panormitanus, sed Genua oriundus. Adolescentulus in Sicilia nostræ se Societati dicauit, in qua & excultus ad pietatem, & humanis atque diuinis disciplinis expolitus est. Vir est acuto, prompto, & facili ad omnia ingenio; sed ad concionandum, & populum verborum copia & elegancia retinendum, aptissimo. Itaque in præcipuis ac celeberrimis Siciliæ atque Italæ ciuitatibus, de loco superiori verba faciens, magno auditorum concursu & plausu auditus est. Scripsit Italicè,

*In Psalmum Dauidis L. discursus*, sic enim vocat, centum: in quibus ipsius Dauidis lapsi, pœnitentis, & sanctè efflorescentis status ac formas depinxit, & ad viuum expressit. Viuit adhuc, Panormitanus domus Professus Societatis Præpositorus.

**IVLIVS NIGRONIVS**, natione Italus, edidit à se habi-

habitam *Orationem in laudem S. HYACINTHI*, cùm  
à CLEMENTE VII. in SS. numerum referretur.

**IVLIVS PRISCIANENSIS**, natione Italus, patria Florentinus, Ingolstadij in Sacrarum litterarū professionem Theodoro Peltano successit. Edidit *Dilingæ*, *Regulas D. Augustini*, cum *Commentariis doctissimis Umberti S. R. E. Cardinalis, & Hugonis de S. Victore*.

## L.

**L**AMBERTVS AVER, natione Germanus, patria Papembergensis ex comitatu Tirolensi, adolescentis se CHRISTO in Societate nostra consecravit; & Philosophicas & Theologicas scientias nostro in Collegio Romano didicit, easque in Academia Moguntina egregiè professus est: fuitque primus Collegij Moguntini Rector, Danieli Archiepiscopo mirum in modum gratus. Sed dum nomine Provinciae Rheni ad tertiam Congregationem Generalem proficisciatur, quæ anno salutis M. D. LXXIII. celebrata est, in eaque *P. Euerardus Mercurianus* quartus Praepositus Generalis electus, magno omnium dolore, vix finita electione, extinctus est. Erat enim vir humilis, deuotus, sincerus, & omnibus virtutibus ornatus: in quo splendebat maximè ardens DEI gloriæ zelus, & singulare ad hæreticos vel frenandos vel ad fidem Catholicam conuertendos studium, animique contentio. Scripsit eruditas *Assertiones Theologicas de Verbo DEI, & de Sanctis*.

**LAURENTIVS ARTVRVS**, natione Anglus, in Germania cùm versaretur, atque litteris nauaret